Simonis Pistorii
Oppoliensis Silesii
Epigrammatum
Octernio Decimusquintus.

Magnifico ac Generoso Viro

D. IOHANNI à Biberstein

BŁONSKI,

Domino & Mecænati colendo.

adscriptus.

Ad Lectorem.

Quæ damus, hæc etiam, si vis, bone perlege Lector'
Si libet, ardenti postea trade foco.

Magnifico & Generoſo Viro D. IOHANNI BLONSKI, à Biberſtein Domino & fautori ſuo.

INter lucubratiunculas meas Theologicas, quibus ego maximè delector, Magnifice D. Blonsci, ſubrepſerunt animo meo quædam etiam Politica; quibus effingendis aliquid temporis collocare libuit: tum animi gratia, tum conteſtandæ erga quosdam Viros eximios obſervantiæ cauſâ. Inter cætera autem in Inſignia quædam, & Icones eorum, quas mihi videre contigit apud Magnificum Virum D. Andream Goslavium, & D. Andream Moscorovium, Mecænates meos colendiſſimos, conſeci Epigrammata. Quæ quia quidam ex amicis probârunt, quin immò authores mihi fuerunt eorum divulgandi, ideò non gravatè eorum voluntati ceſſi, typisq; ea, ut vides, commiſi. Tibi autem, Generoſe D. Blonsci, dedicanda putavi, utpote Viro in humanioribus literis non malè inſtituto, atque hinc ſingulari comitate erga omnes bonos, inprimis autem in honeſtis artibus verſatos, prædito, & quod apud me præcipuum eſt, mei amantis: ut ea eſſent argumento meæ erga D. T. obſervantiæ & ſtudii. Accipe igitur ea benigno vultu pro tua benevolentia, non tàm munus ipſum, quàm dantis animum ſpectans: cui me, meaq; ad omne genus obſequii paratiſſima officia quàm diligentiſſimè commendo. Salve & vale quam diutiſſimè.

S. P.

AD GENEROSVM ET NOBILEM Virum D. Iohannem Błońscium

*B*łONSCIA *posteritas, natalibus edite claris,*
Non parva Aonii gloria, IANE, *vadi,*
Qui puer ingenuas didicisti sedulus artes,
Et vario nosti doctiùs ore loqui,
Suscipe non duro tenuissima Carmina vultu,
Quæ modò consecrat nostræ Thalia tibi.
Non donum, BłONSCI, *sed dantis respice mentem;*
Hac quoq; contentos suspicor esse Deos.

In Stemma

Illustrissimæ Gentis OSOLINIORUM, Comitum à Teczyn;ad Magnificos fratres Germanos D D. Castellanum Sandecen. Succamerarium Sendomiriensem, & Curiæ Reg. Pol. thesaurarium.

A*cris* OSOLINIÆ *Gentis vetus Ascia Stemma,*
Stemma perantiquæ nobilitatis honos,
Arguit insignes Heroas Marte fuisse,
Eloquio, ingenio, consilioq; graves.
Seu Patriæ fines tutandi, & bella gerenda,
Fortior his nemo vividiorq; fuit.
Ascia transadigit costas, & corpora truncat,
Ascia cædendis hostibus apta satis.
Consilium in dubiis seu dandum rebus & arctis,
Promptior his nemo candidiorq; fuit.
Ascia præduros discindit acumine nodos,
Aptaq; præfixum tangere missa locum.

Nec vos degeneres eſtis digniſſima Fratrum
Pectora, præſtantes Marte, togaq́; Viri!
Pro meritis nunc expletis qui Publica Regni
Munia Sarmatici magna favore Iovis.
Ite per alta Viri, quem fama exæquat Olympo,
Ad Regis laudes, Imperiiq́; decus.
Vos majora manent, triga ô clariſſima Fratrum,
Virtutis veſtræ præmia digna brevi.

Ad illuſtrem & Magnif. D D. IOHANNEM a Zebrzydovvice Zebrzydovvsky, Gladiferum Reg. Pol. Capitaneum Lanckoronen. &c. Cum ei à ſacra Reg. Majeſtate Capitaneatus N. C. Korczyn offerretur.

NVncia fama meas poſtquam pervenit ad aures,
Sarmatici excellens Enſifer Imperii,
Eſſe favore novis te Regis honoribus auctum,
Ante alios, quorum copia magna fuit,
Ilicet exilio, nec eram, ajo, falſus aruſpex,
Hic noſtræ Præſes Nobilitatis erit.
Præſideas felix, Præſes digniſſime, amorem
Et tibi cunctorum conciliare ſtude.
Ad nos fac redeat Cœlis Aſtræa relictis,
Et pax, & rerum copia cuncta fluat.
Te Deus ipſe regat, quo num duce & auſpice flores,
Atq; tua ad nutus dirigat acta ſuos.
Vive, vale, ZEBRZIDOVVI, ſate gente vetuſtâ,
Neſtoreos Gladifer vive, valeq́; dies.

De Gentilitiis Insignibus Debinsciorum Ad Mag. & Gener. D. FRANCISCUM Debinsky, tunc tribunalistam.

QVi dedit hos olim Genti Debinsciæ honores,
Flos FRANCISCE *tuæ, gemmaq; clara Domus,*
Affectus domitos, sedataq; pectora, Cæsar,
Agnovit Stirpis scilicet Ille tuæ.
Virgo quid hæc aliud, sanæ nisi mentis imago est?
Affectus Vrsus denotat esse feros.
Insidet illa Vrso, diras cui comprimit iras;
Sic dia affectus mentis habena domat.
Mente quid utilius? ratione decentius usquam est?
Quid contrà affectu turpius esse potest?
Proterit, atq; instat morienti turbidus Vrsus,
Ni sit qui rapidæ comprimat ora feræ:
Sic nisi compescat motum ratione furorem
Vir demens, iræ nescit habere modum.
Tu regere affectus animo, Francisce memento,
Quod facis, erga omnes comis & esse stude.
Proq; Tribunali residens nunc, juris & æqui
Sis memor, Astrææ verus amator Heræ.
Sic antiquorum benè non indignus Avorum
Vives, ac de te fama loquetur anus.

Ad nobilissimum IONAM SCHLICHTINGIUM, doctrinâ & pietate præstantem, Theologum & oratorem.

QVi scribit facienda, facit faciendaq; scribens
Et meritò sapiens, & probus ille Vir est.

Tu, IONA, *præstas utrumq;, hinc talis haberis,*
Scripta catum monstrant te tua, facta bonum.

Anagramma

VESPASIANI SCHLICHTING.

demptis aspirationibus.

Si vis gusta, nil peccans.

Q*Vot tibi promißum est,* SI VIS *(non cogitur ullus)*
Tu GUSTA *summum, Vespasiane, bonum.*
NIL PECCANS *sacra Iußa Dei cole pectore toto*
Re si vis illo, Vespasiane, frui.

Ad Mag. & Gen. V. D. Vespasianum à Bukovviec Schlichting, fautorem suum.

E*St antiqua domus tua,* VESPASIANE, *eademq;*
Est factis præstans, & numerosa bonis.
Sunt qui pro Patriâ Mavortia castra sequuntur,
Arma cient forti sangvinolenta manu.
Sunt qui judiciis quoq; consiliisq; potentes
Exercent duri publica jura fori.
Sunt qui consulta rerum miracula fingunt,
Mente sua, faciunt facta stupenda manu.
Sunt qui doctrinâ pollent, quiq; ore diserto
Eloquioq; suo corda movere queunt.
Qui nôrunt abstrusa sacri mysteria verbi
Victuris tradunt & monumenta typis.
At bona tot vestræ versu comprendere Gentis,
Aut quis tot dotes enumerare queat?
Et tu vir non es præclare novissimus omnes
Inter gentiles, VESPASIANE, *tuos.*

Est quoq; mens generosa tibi, vigor ingeniiq;,
Est tibi judicium, consiliumq; domi.

In effigiem nobilis & egregiæ matronæ Sophiæ à Moscorovv Schlichtingiæ, fautricis suæ.

QVæ sit tam vivis depicta coloribus isthæc
Fæmina, si nescis, dicere parva mora est.
Nomen ei SOPHIA *est bene nota*, LACHOVIA *proles*
Conjux SCHLICHTINGI VESPASIANE *tua.*
Depinxit faciem calamus, depingere mores
Non potuit: Vivam respice, nosse potes.

Ad reverendum V. D. Blasium Politum, Plebanum Greboszovien. Vicinum & Amicum benevolum.

CLare POLITH, *bene qui Clariis nutritus in antris*
Imparibus nosti nectere verba modis.
Quiq; meum gracili modulatum Carmen avenâ
Laudas, atq; aliquod pondus habere putas,
Hæc quoq;, quæ lusi variis de rebus, amanter
Perlege, Patrono daq; legenda tuo.
Sic te Phœbus amet, facundi carminis author.
Sintq; novem faciles in tua metra Deæ.

In effigiem Andr. Dudithii de Horecho: L. B. S. C. M. consiliarii intimi, & Legati perpetui.

HIc habitus tibi tunc, hæc ora fuêre DUDITHI,
Cùm traheres vitæ ter duo lustra tuæ.
Et jam diversas à Cæsare missus in Aulas,
Summo Legati munere functus eras.
Iamq; in consiliis dandis non ultimus auctor
Illius & fueras portio magna Domus.

 Ergò

Ergò quid mirum est, quòd sis tùm clarus, in oris
Notus & Eois, notus & Hesperiis?

Aliud.

Tàm parvâ magnus tabulâ depictus in hac est
Dudithius, bene quem novit uterq; Polus.

In Imaginem nobilissi. fæminæ Elisabethæ Zborovíæ, Conjug. Dudit.

ILlius ætatis, quâ vixit nobilis isthæc
Matrona, hic cultus tunc habitusq; fuit.
Heu! nostra in luxu tantùm se sustilit ætas,
Vt sit valdè impar, dissimilisq; sui.
Quid veteres laudare juvat, si vivere nostris
Moribus, & luxu malumus & vitiis?
Vt verò cultu præstans hæc fæmina simplex,
Sic humilis morum simplicitate fuit.
Ito per exemplum præclarâ stirpe creata;
Si vis extolli te prius ipsa preme.

Sub Effigiem Mag. & Gen. D. Iohan. Grati Tarnoviæ Capitanei Korczynen.

ET frontem & faciem GRATUS *Tarnovius olim*
Sic tulit, in Patria quando superstes erat.
En gratum vultum, en pectus super ardua nisum!
Magnanimum possit quale decere ducem.
Hinc Martis decus, & grati tibi nomen honoris
Contigerant, nostro te redamante Iove.

Ad Insignia nobiliss. Gentis Błonsciorum.

IANE *Biberfteini, Comitum de Gente propago,*
Quos quondam bellax Teutona terra tulit.

Ex his apparet geritis quæ Stemmata Blonſci,
Illuſtres valido Marte fuiße viros.
Quid cornu Cervi tàm, IANE, *rubedine flavum,*
Quàm Martis durum ſignificatur opus?
Se velutopponit ſurgens in cornua Cervus
Hoſtibus, hoc pugnam robore ſiſus init.
Sic ſe Majores, generoſis viribus uſi,
Pro Patria, armatis oppoſuere, tui.
Nec vos degeneres animis, & corporis eſtis
Robore, cum veſtra Poſteritate, viri.
Aſpera pro Patria miſcetis prælia Cœli,
Contra Inimicorum ſpirituale genus.

Ad Magnif. & Gen. D. CHRISTOPHORUM Morſtinium, de ipſius munificentia.

Cùm ſis dives opum, cùm ſis illuſtris & ortu,
Es tamen humanus, comis & ingenuus.
Ampla patent cunctis tua fratribus Atria ſemper,
Quos tibi te meritis demeruiße juvat
Parva loquor! patet & peregrinis omnib. Aula
Nunc tua, quos multo munere ſæpè foves
Ardua res hæc eſt, numis & honoribus auctum,
Talibus ornatum rebus & eße Virum.
Non facit hoc quæſitarum profuſio rerum,
Sed, quam ſectaris, relligioſa Fides.

In Imaginem nobilis & reverendi V.D. STANISLAI LUBENECII.

Patria quem norat benè, quemq́ Eccleſia CHRISTI
Inſignem norat nobilitate Virum,

 Hanc

Hanc barbam, hos habitus, isthæc LUBENECIUS *ora*
Geßerat, inter nos quando superstes erat.
Hic Aulâ ac Mundo STHEPHANO *sub Rege relictis,*
Quorum erat à pueris deditus obsequiis,
Detrusâ postquam in puteum caliginis olim,
CHRISTI *illustratus cognitione fuit.*
Unà operam & studium binis cum fratrib. omne
Ad CHRISTI *sanctum contulit officium.*
Cum quibus eximiâ pietate excelluit, atq;
Ritè Ministerii munere functus erat.
Tùm vitæ cùm sex & septuaginta per annos
Cursum exegißet, funere mersus obit.

Aliud in eandem.

Ista STANISLAUS LUBENECIUS *ora gerebat,*
Antiquâ Generis nobilitate satus.
Hunc Iuvenem Aula, Virum Mavors, Ecclesia CHRISTI
Præcipuè grandem vendicat alma sibi.

Ad Mag. & Gen. V. D. Martinum Czaplicium tertiò Sponsum.

Q*uæ,* MARTINE, *tibi jam tertia ducitur Uxor,*
O Martine, tuæ splendida stella Domus,
Si non exuperat virtutum laude priores,
Fato defunctas, æquat at illa tamen.
Est prudens mulier, sine quâ jucunda benigno,
Aut grata eße Viro mutua vita nequit.
Est pia, quâ major nec vis est ulla, nec ipsi
Victima propitio gratior ulla Deo.
Est casta, integris & prædita moribus, ulla
Dos quibus utilior, major & eße nequit.

Felix

Felix qui tantum cumulum, Martine, bonorum,
Quò remeas, infers in tua tecta domûs.
Vtere sortè tuâ; qui vos conjunxit amore,
Largiter omnigenis vos beet ille bonis.

In effigiem Mag. & Gen. D. PETRI BLONSCII.

SI faciem videas, hæc gessit BLONSCIUS *ora*
PETRUS, *adumbratus pollice quando fuit.*
Si mentem spectes, hæc ulli nescia pingi,
Cernitur ex factis exeriturq; suis.

In imaginem Mag. & Gen. D. ADAMI GOSLAVII, Mecænatis sui colendiss.

PIngere qui poßet vultus inventus ADAMI *est,*
Qui poßet mentem pingere, nemo fuit.
Scripta repræsentant animum, vultum ista tabella
Nemo alium, sed se pingere quisq; potest.

In tumulum Gen. V. D. Iohan: Glinski à Glinnik.

QVem stirps antiquæ produxit GLINSCIA *Gentis,*
Hac recubat molli contumulatus humo.
Nomen ei fuerat (si vis hoc scire) IOANNES,
Inter Germanos gloria prima suos.
Nam fuit ille etiam doctrinæ nomine clarus;
Non tantùm Generis nobilitate sui.
Egregii prima ingenii fundamina jecit
In Patria, ætatis flore vigente suæ.
Plurima Regna dein, peregrinas vidit & urbes,
Vnde animi veras accumulavit opes.

Moribus hinc juvenis fuit exornatus honestis,
Omnibus ut meritò gratus ubiq; foret.
Hinc in consiliis dandis non futilis author
Extitit, hinc multis utilis ille fuit.
Hinc, quod præcipuum est, hoc in discrimine rerum,
Agnovit veræ Relligionis opus.
Confisusq; Deo, CHRISTOQ; *; huic cætera vixit,*
Huic pariter vitam clausit agone pio.
Pone modum lachrymis, NICLAE, *ô unice Fater,*
Turba propinquorum tu quoq; pone modum.
Est extra interitum, quod non mortale gerebat,
Vt præter cineres nil tegat iste locus.
Fama Viri manet, ad CHRISTUM *quoq; spiritus ipsum,*
Pòst immortalis conspiciendus, iit.

Ad Iohannem BLONSCIUM.

BLONSCI, *de rebus seu,* IANE, *forensibus, unquam*
Disseris, ingenium est acre, sagaxq; tuum.
Seu de divinis si quandò mutua confers
Verba, est judicium nobile, IANE, *tuum.*
Ergò te Civem (quod rarò contigit ulli)
Esse utriusq; fori quis neget esse bonum?

Epitaphium Mag. & Gen. D. HIERONYMI MOSCOROVII, Viri omnium judicio præstantis. Mecænatis mei colendiss.

D*Epositus tumulo jacet hoc* HIERONYMUS *ille,*
Cui vix nostra parem protulit ora Virum.
Seu genus inspicias, nihil est antiquius illo;
Seu vitam, hac potuit sanctius esse nihil.

Seu

Seu dotes spectes animi, præstantius illis
Nil fuit, ipsâ etiam teste vel invidiâ
Vir priscæ fidei, tùm Relligionis avitæ
Cultor præcellens, immò Patronus erat.
Munificus, prudens, observantissimus æqui,
Nec minùs in vera simplicitate bonus.
Idem erat Argivæ madidus Latiæq; Minervæ
Artibus; ore potens, eloquioq; gravis.
Deniq; talis erat, qualem mortalibus unum
Millibus è cunctis vix reperire queas.
Publica Res Patriæ, & CHRISTI Respublica tantam
Defle jacturam fluminis imbre tuam.

In Imaginem ejusdem.

SIc oculos, sua sic HIERONYMUS *ora gerebat,*
Qui genus à prisca nobilitate tulit.
Quæ potuit solers ea præstitit arte peritâ,
Sed reliqua artificis non potuêre manus.
Fama operam præstat, Scriptis doctrina relucet,
Omnibus & Pietas nota per ora volat.

In effigiem Mag. & Gen. D. FRANCISCI Debinsky.

Os, humerosq; gerit tales DENBINSCIUS *heros,*
Qui de FRANCISCI *nomine nomen habet.*
Aspicis ut candor mixtâ gravitate refulget,
Ut comis facies, ingeniumq; sagax:
Non raro os animi indicium est; & honesta voluntas
Noscitur ex vultûs schemate sæpè viri.
Qui potes haut aliter, tu nosce ab imagine dotes,
Nos vivis capimur, perfruimurq; bonis.

Ad Thalamum, D. Alexandri Czaplic à Szpánovv, & Dorotheæ Goslaviæ à Bebelno Sponsis nobilissimis.

Qvisq; suis trahitur votis: huic quæritur Vxor,
Quæ sata de veteri sit celebriq; domo.
Quæritur hæc alii, quæ sit pulcherrima formâ;
Rursum alii, quæ sit divite dote potens.
Horum ego non laudem genium: nam corporis ista
Sunt bona longè animi deteriora bonis.
Esse satum, est aliquid, fateor, de Gente vetustâ,
Si Virtus adsit, si Pietatis amor.
Forma bonum fragile est: & dos absumitur ampla,
Divitiæ pereunt, dilapidantur opes.
Virtus dos summa est, omni preciosior auro,
Divitiis Crœsi, divitiisq; Tagi.
Nobilius virtute nihil, nil pulchriùs illâ;
Externis virtus carior illa bonis.
Omnia cùm pereant, pereat cùm Mundus & ipse,
Interitum Virtus nescit habere suum.
Quàm sapis ô! multas inter quæsita Puellas,
SPONSE; *quod in thalamos it* DOROTHEA *tuos.*
Namq; & nobilibus prognata Parentibus illa est;
Et specie præstans, doteq; conspicua.
Ac, quod præcipuum est, prudens, bona, casta, pudica
Virgo, Dei metuens, & Pietatis amans.
Omnia in hoc insunt haut grandi corpore dona;
Hoc est Virtutum pectore multa seges.
Laudis, ALEXANDER *Genere & Virtute decore,*
Liba pro tali Conjuge Vota Deo.

Nec minùs & Patri egregio, Matriq; verendæ,
Grates pro tali munere pronus age.
Vivite concordes animæ! vos optimus author
Nexûs æternùm connubialis amet.
Summè amet, & pulchrâ faciat vos prole Parentes,
Pòst ambos Astris inferat ille suis.

In tabulam, Magnificum V. D. ANDREAM GOSLAVIUM a Bebelno repræsentantem.

PIctus in hac tabula ANDREAS *Goslavius ille est,*
Quem quicunq; bonus novit, amare solet.
Omnibus humanus, cunctis affabilis, idem
Promptus Amicorum semper ad obsequium.
Nil hoc suavius est, nil estq; politius illo,
Non alius debet eße POLONUS *Eques.*

Ad Insignia Mag. D. IOANNIS BESS. L. B. Mecænatis sui.

QVi vitam, moresq; tuos perspexit, & ortus,
Edite BESSIACO *sangvine, magne Baro.*
Ille tuum quoties laudabile stemma videbit,
O tali, dicet, stemmata digna Viro!
Vt leo magnanimus devinci nescius ulli,
Firmus & est constans in statione sua
Sic quoq; tu perstas Pietate immotus in ista,
Fontibus è sacris quæ fuit hausta tibi.
Tentatus quoties precibus, pretioq; fuisti,
Nec prece, nec pretio vinceris ipse tamen.
Quin etiam ante alias magis est placabilis iræ
Hæc fera, supplicibus nec solet eße ferox.

At verè vehemens violentos surgit in hostes,
Vimq; animi magnâ nobilitate probat:
Sic generosa tuo residens in pectore virtus,
Subjectos facili motu, & amore regit.
Fertur in audentes, iras & concipit, arma
Vt rapiat justus sæpè coacta dolor.
Sed quid trunca arbor, ramis defecta, novisq;
Incipiens foliis luxuriare, docet?
Vt taceam reliquos ipsâ cum stirpe nepotes,
Fortunæ varias qui subiêre vices,
Tu miro fueras jactatus turbine rerum,
Tritaq; militiis est tibi vita diu
Ac postquam melior tibi sors splendescere cœpit,
Tunc quoq; parte tui sæpè resectus eras.
At nunc post hyemes, tempestatumq; rigorem,
Blanda tibi viridis tempora Veris eunt.
Flore arbor, reviresce comis, & palmitis auctu
Bessiacam juncto cinge Leone Domum.
Vere fruâre tuo, tibi sit placidissimus annus,
Æternùm fructu vivat ut illa tuo.

De figura Mag. & Gen. D. ANDREÆ Moscorovii à Moscorovv.

Hanc tu qui lustras, spectator amate, tabellam,
Hæc referat vultum cujus imago rogas?
ANDREAS *talis nunc* MOSCOROVIUS *Ille est,*
Quem civem novit Patria tota bonum.
Ars si dona ejus, mentemq; effingere poßet,
Crede mihi, hac nusquam pulchrior ulla foret.

Ad Germanos fratres MOSCOROVIOS D.D. Andream & Iohan. in stemma eorum longè antiquissima.

QVod retrò à multis Gens MOSCOROVIA seclis
Stemma, index veræ nobilitatis, habet,
Omnia sic inter Magnatum Insignia splendet,
Vt sol inter tot sidera clara micat.
Quid cruce splendidius? per quam lux maxima Mundi
Infernum CHRISTUS *vicit & Astra tenet.*
Denotat hoc signum Christiani nominis esse
Semper cultricem cum pietate Domum.
Quales penè omnes testantur Scripta fuisse,
Hoc clarum Heroas quos tulit antè Genus.
Quos superasse Patrem vestrum, & par nobile fratrũ
Vos quoq; , testamur conscia turba viri.
Cedite vos Aquilæ, vos Vrsi, cedite Gryphes,
Tu quoq; quadrupedum gloria cede Leo!
Grata polo Crux, grata Solo, sine fine corusca,
Et produc semper cùm pietate viros,

Ad Iohannem BŁONSCIUM.

Cùm legis hæc, BŁONSCI, *miraris fortè; quid, inquis,*
Istud? ab ingenio sunt aliena tuo.
Antè tuæ fidei sapiebant dogmata chartæ,
Sed tua nunc homines pagina scripta sapit.
Ipse nec inficior; verùm horas lusibus istis
Quid succisivas perdere, IANE, *vetat?*
Adde, quòd & variis de rebus pagina scripta
Delectat mentes, sensaq; nostra juvat.
Cumq; Politicus existas, quæ scribimus, ista
Auribus hautquaquam sunt aliena tuis.

Dialogus funebris Mœstiss. Parentis Mag. & Gen. D. FRANCISCI Debinsky, & Petri magnæ spei Filioli immature defuncti.

P. NAte, meæ vires, mea lux, mea vitaq; PETRE,
Idem mors animæ, deliciumq; meæ!
Quis mihi te casus, quod Numen ademit iniquum?
Quæ te tàm subitæ fata dedêre neci?
Heu mihi! te terris tantùm ostendêre, sat ampliùs
Ornatum indiciis indolis egregiæ.
F. Et me, care Parens, incendere, teq; querelis
Desine, vana tua est ista querela modò.
Nam me non aliquis casus, nec ademit iniquum
Numen: habet finem vita caduca suum.
Fata manent omnes: ab origine terminus ipsa
Pendet; non cuivis contigit eße senem.
P. Ebeu! tres nondum complesti parvulus annos,
Dum cadis, & tecum gaudia nostra rapis.
Non secus excito surgit rosa candida Phæbo,
Quæ rursum Phæbo deficiente cadit.
Pars animæ non parva meæ, PETRE blandule, sic ne,
Iam mihi non unquam conspiciendus abis.
F. Quid Genitor cruciare juvat te perpete luctu,
Atq; meæ vitæ de brevitate queri?
Vixi, & quem dederat cursum Deus ipse peregi;
Nil mihi cum terris amplius; Astra peto.
Quando dies hujus fatalis venerit ævi,
Tunc ego, tuq; mihi conspiciendus eris.
P. Hunc ego te Nate aspicio? tune illa senectæ,
Et spes, & requies, & medicina meæ?

Si vita hîc aliqua est, te Nate superstite vixi;
At vix dimidiâ sum modò parte mei.
O me semianimem tumulo componite Nati,
Vt brevis exangues contegat urna duos!
F. Ne tibi ne Genitor tanti sit caußa doloris
Mors mea: nam funus pòst mihi fœnus erit.
Tu prodeße Deo, Patriæ, Regiq; , Tuisq;
Cum possis, florens vive, valeq; Pater.
Posteà longævæ perfunctus munere vitæ
Astrati Cœli Regna beata petas.
P. Heu mihi! ne cumulus desit, numerusq; dolori,
Mortuus es Generis spesq; decusq; mei.
Spes erat ingenti te posteritate beatum
Spes erat egregium te fore Nate virum.
Ast omnis tecum spes jam collapsa recumbit,
Spes jacet hoc uno gloria, tuq; loco.
F. Ecquis erit finis lachrymis? revocabile non est,
Quod semel est mersum funere, care Parens.
Est tibi (sitq; precor) majoris Filius ævi;
Sunt tibi (sintq; precor) Filiolæq; duæ.
Hinc spes hæredes, hinc concipe talia; sed me
Nunc juvat ire, vocant quo mea fata. vale.

Vera Commendatio D D. BLONSCIORUM.

Sunt veterum quos commendant Insignia Patrum,
Quos arma, & Martis nobilitavit honos.
Sunt quos commendant fasces, & summa potestas,
Quos inter magnos collocat illa viros.
Sunt & opes quos commendant, & jugera multa,
Fluxaq; fortunæ quæ bona Mundus habet.

Hoc vos hæc inter præstantes omnia BLONCI
Commendat, vestram condecoratq; Domum.
Illustrare omnem quòd quæ nunc incipit Orbem
Lux Evangelii, cognitioq; Dei,
Vestræ animos etiam Gentis perstrinxit, & inter
Primitias vestram contigit esse domum.
Quam vestri Patres amplexi, quamq; Priores,
Nil hac duxerunt Relligione prius.
Quæ neglecta licet jaceat, preciosius usquam
Attamen has summus nil habet ipse Deus.
Nec vos indigni vestris Majoribus estis
Præclari Generis clara propago viri.
Cujus noticiam suxistis ab ubere, fratres,
Hujus vos raptat Relligionis amor.
Se jactent multis alii, vos scilicet uno
Iactate hoc tanto stirps generosa bono.
Omnia cùm pereant, habet immortale brabeum,
Qui colit in vera Relligione Deum.

Anagramma
Ioannes Blonski de Biberstein.
mutato K in C.
Insons de nectare nobili bibes.

S*ors sua quemq; manet, sunt & sua præmia cuiq;*
Pro meritis justo retribuente Deo.
Insons, & purus sceleris, dignissime Cœlo
Sanctum finis agens nescius ante Deum,
IANE, *bibes, de sede Dei quod manat in ævum,*
Nobile, cum Geniis, nectar & ambrosiam.

Anagramma Nominum Stoiniorum.
Christoforus & Petrus & Ioannes Stoienii.

ph mutando in f.

Ô Stans in Sione, CHRISTI proferet jus; & ovet.

VOs triga egregii fidissima pectora Fratres,
Quos Phœbi, & Gentis nobilitavit honor.
O statis *nunc Præcones in monte* Sicnis,
Organa propitii sacraq; vasa Dei,
Quod facitis jussi, vestras attollite voces,
Ingentis ritu terrificæq; tubæ.
Et CHRISTI jus *in medium* proferte *salubre,*
Commisso vobis invigilando Gregi.
Qui facit hoc, ovet *ille; Dei nam munere talis*
Præmia in Axe suo digna labore feret.

In Metamorphosin Polonicam, ad nobilem & doctiss. V. D. IACOBUM Zebrovvsky,

IN nova mutatas legissem quando figuras
Corpora, voce novâ, Sarmaticoq; Stylo.
Vtrum author, IACOBE, *esses ambigere cœpi,*
Vtrum Pelignus Naso *Poëta foret.*
Namq; relegatus nostris cum vixit in oris,
Et Geticè didicit, Sarmaticeq; loqui.
Sed quia nunc Opus hoc post plurima secula demum
Prodiit, authorem suspicor esse Libri.
Hoc tamen affirmo, redivivum habitare reapse
In te Nasonem, Sarmaticeq; loqui.
In te igitur Naso *vivit, tu rursus in illo;*
Vivida vos nullo gloria fine manet.
Immò si verum fas dicere, gloria major
Est tua, quò prostat longius istud Opus.
A doctis tantùm legitur Naso, *idq; Latinis,*
Quos tamen haut multos maximus orbis habet,

Tu verò à doctis pariter rudibusq; legêre;
Quà patet Illyricum, Sarmaticumq; solum.

Ad V. doctrina & judicio gravem, D. Iohannem Tocarevium NeoCor. Consulem.

IN *vestro dicis qui Consule digna Senatu,*
Ex Legum quando Codice jura citas;
Siquis, IANE, *fuit furatus tempore longo,*
Ille tamen nulli tunc manifestus erat.
Posteà conversus multo fur desiit esse
Tempore, vir factus sedulus atq; probus.
Illa tamen posthac liquidò tot furta priora
Civibus illius si patefacta forent.
Dic mihi (nam tibi sunt manifesta volumina Legum)
An rectè furti nomine possit agi?
An possit talis damnari jure, deinde
Sævo carnifici tradier, atq; cruci?

Author de se, & sua imagine.

S*Eptima mî fuit & jam sexagesima messis*
Condita, cùm tali schemate pictus eram.
Me tulit Elysium, variis nutritus in oris
In gremium veni terra POLONA *tuum.*
Fungor ubi sacri tradendi munere verbi,
Cujus perfusus cognitione fui.
Quod vitæ reliquum est, ad nostram verte salutem
Illud, & ad laudem, CHRISTE *benigne, tuam.*

Anagramma nominis Authoris.
Simon Pistorius.
Sis Pius Monitor.

Esse pium me vis monitorem, CHRISTE, *(sed ut sim*
Tu prius ipse mone, me, pie CHRISTE, *precor.*